



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

IX. Vt sacerdotes a familiaritate feminarum, itemque a venatione, armis  
militaribus, & habitu non decenti abstineant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

lis & possessionibus sunt, ad publicum officium in plebem festinent. & nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia episcopi.

## VIII.

Vt episcopi in ciuitatibus suis proximum ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent: & sacerdotes suos ad hoc constringant, vt ecclesias suas non derelinquant, & aliubi habitare præsumant. Sint etiam subiecti episcopo proprio secundum canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. neque sæculari potestati ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, vt contra canonicas leges & debitam episcopi potestatem quodammodo defensentur. Huiusmodi vero sacerdotes episcopalis illico censura disciplinis ecclesiasticis subdat. Nec fas est omnium eorum sollicitudinem episcopos non gerere, quibus in committendis sacris ordinibus dignum visum est communicasse.

## IX.

Vt in domibus sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio feminarum penitus tollatur, neque illi in domos earum intrare indiscrete præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos blasphemetur, per quos laudari pie & iugiter debet. venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere præsumat. neque arma militaria pro qualicumque seditione portare audeat: aut habitum

ANNO  
 CHRISTI  
 1576.

quemlibet tantum apicem sacerdotii non decen-  
 tem assumat.

X.

Vt res ecclesiasticas, tam mobiles quam & im-  
 mobiles, nemo inuadere vel auferre præsumat. &  
 quæ a rectoribus ecclesiæ hæctenus, ob timorem  
 vel fauorem, alicui libellario vel emphyteuticario  
 iure dolose, vel cum damni detrimento, ecclesiæ  
 amissæ videntur, ad pristinum ius reuertantur:  
 quatenus liceat illis, quibus eorum cura commissa  
 est, quieto & pacifico ordine eas tenere, & pro no-  
 bis ac regno nobis a Deo commissio orare, paupe-  
 ribusque debita stipendia erogare, familiam eccle-  
 siæ iuste & rationabiliter regere & gubernare.  
 Transgressoribus autem indicimus, iniuste præ-  
 sumpta restituere, & sicut superius præfixum est,  
 triplicem legem & triplex bannum nostrum persol-  
 uere.

XI.

Vt decimæ collaborationum & animalium, se-  
 cundum sacra præcepta, Domino absque fraude &  
 aliqua retractione offerantur, & in potestate epi-  
 scopi maneat qualiter a presbyteris dispensentur  
 canonice. & vt ecclesias baptismales, quas plebes  
 appellant, secundum antiquam consuetudinem ec-  
 clesiæ filii instaurent.

XII.

Vt episcopi comites & vassos nostros, in paro-  
 chia eorum manentes, paterno amore secundum  
 ecclesiasticum ministerium diligant: ipsi comites &  
 vassalli, seu reliqua generalitas, prædictos episco-